



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 6. Cur fulmina dicantur ignis Dei?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Vt tales sint Reges, Principesque: & quicunq; magnam potentiam, inter homines, adepti sunt; vt, non quod falsus monitor, verus susurro, aut adulator, atque hinc ira, & in vindictam ebulliens superbus sanguis suggerit, sed quod equitas, quod ratio, quod consilia sana suadent, id statuant & mandent; DEVS ipse fulmina non statim expedit, *quoties homines peccant*: quæ etsi in manu habeat, ac potestate, tamen millies, atq; iterum millies sinit antè quiescere, quàm decernat vibrare: prius telum ostentat, quàm ingerat, *vt fugiant à facie arcus* peccatores, Psal. 59. 6. quos mauult metu, quàm pœnis coërcere. Quod si illi differunt, si nauigationem prorogant, & cū Acessæo, lunam magis opportunam expectant, tardantque conuerti ad Dominum, & implent mensuram scelerum; tunc corusca tela, diu librata & rotata, mittit, in contumaces, aut eos, quorum Tartaro digna facinora, omni contumaciâ, sunt detestabiliora.

§. VI.

Cur fulmina dicantur ignis Dei?

Tametsi enim fulmina, non Cycloporum manibus, sed in nube, ipsius naturæ industriâ, ad terram concutiendam, agrôsque fer-

C 5 tiliores

- Vide Lu-tiliores faciendos, aliósq; vsus fabricantur;
cret. li. 6. censentur tamen meritò, è cœli armamen-
Iob. 1. 16. tarijs promi. Vnde & *ignis Dei* appellantur;
quia hic ignis est non solùm à DEO, vt cæte-
ri ignes, sed etiam, quia de cœlo, & quia po-
tentissimus, penetrantissimus, velocissimus,
& maximè formidandus. Sæpe enim his ar-
mis vtitur DEVS, ad hostes suos subigendos.
- Pl. 49. 4. Siquidem, si insolentes fuerint, *aduocabit
cœlum desursum: & terrã discernere populum
suum. Et annuntiabunt cœli iustitiam eius: quo-
niam Deus iudex est.* Sicut fuit, quando D.
- Sur. Tô. 5. Maurilius fanũ diuersis idolorum cultibus
dic 13. dedicatum, nõ procul Andegauo, videns,
Septeb. humanã vi, excindi non posse, oratione im-
petrauit, vt, igne de cœlo labente, quidquid
simulachrorum, & immũditix ibi erat, mo-
Dan. 3. 48. mento temporis absumeretur. Tres pueros
*non tetigit omnino ignis; qui tamen incendit,
quos reperit iuxta fornacem.* Quod prodigi-
um renouatũ est, in Iphigenia Ægippi ÆE-
thiopum Regis filia. Ea, D. Matthæi Apo-
stoli colloquio, Christianorum numero ad-
dita, cùm Christo virginitatem vouisset, &
iam, constructo cœnobio, multis virginibus
DEO pariter dicatis præesset, neq; minis, ne-
que blanditijs moueri potuit, vt Hirtacum
paterni

paterni regni successorem acciperet maritum, æterni Regis se esse sponsã dicens, nec licere sibi, illo relicto, alteri nubere. Hirtacus, amore in furorem verso, Iphigeniam, cum toto cœtu, adeoq; etiam cum ipso monasterio, cõcremari iussit. Admoto igne, flamma virginalis pudicitix vltrix inde se auertens, in regiam prosilit, quam, Hirtaco, cum vnico filio, vix euadente, funditus consumpsit. Hirtacum morbi impatientia, filiũ Hirtaci diabolus infessor interemit. Ita calido se, suosq;, elemento defendit DEVS, dum libidine æstuantibus hostes vltus est, in quos flammam reflauit. Quid habet hinc Momus, quid nasum corrugat Aristarchus? an, si ipse DEO Conditori rebellat, vult, vt ei etiam elementa non seruiant? Num adhuc ignem accusat, quia Satyro barbam auferit, eum intemperanter & stolidè ad osculum applicanti? At stipitem & stipulam lædit, aurum non lædit, sed ostendit esse aurum, quod spectabilius facit. Quemadmodum enim fulmen, & ferit reos, & defendit innocuos; ita & ignis reliquus est velut anceps gladius, ad offendendũ & defendendũ vtrinq; factus. Laurentios, Vincetios, Apollonias & Afras illustrat; Cræsos, & Didones in fumum soluit.

§. VII.